Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 10. Martii.

M. NICOLAO DE JOUVANCI, Doctore Medico, Præſide.

An pane & aquâ contenti, vivaciores?

QUIDQUID eſt & vivit, motu & pabulô durat; ille ab agente δεικινήτῳ manans, functiones regit & complet; hoc auget vivendi cauſas, inſtaurat labantes. Stat utriuſque commercio πῦρ σύντεφον; quod in fluido pingui, vorticosô motu jugiter agitatô, perſeverat: hinc animalium vita eſt; an in indefinitum proroganda? ocyùs, ſeriùs, terminatur pro ſingulari cujuſque naturâ. Hæc à ſpiritu igneô, paſſim ubique diffuſô, derivata: *Vis cœleſtis*, *Temperamentum*, *Intelligentia*, *Actus eſſentialis*, *Archæus*, *ſuis ſpiritibus mechanicis ſtipatus* &c. nuncupatur. An tamen ineptiret, qui viventis naturam, *Spiritum ingenitum* diceret, aut *Animam ſentientem?* Hæc, ex traduce propagata, vitæ principium eſt, & facultatum omnium author: hâc vivit, movetur, & ſentit homo: cujus pars, quæ molem habet, ex ovo, ex ſemine, ab eâdem conformatur; an priùs exiſtens? Si de primò, noſtræ vegetationis, modô dubius inquiras? hunc habeto. Latet in uterô inſtrumentum naturæ princeps, aer nimirum internus; ille colliquamentum juxta partes ponit, & mox lacteum ſuccum, ad proceſſûs embryonis umbilicales impellit: idem ille fibras ejuſdem in ſuo ſitu continet, & ὑπερογκουμένην comprimit molem. Viget tamen inibi vividus calor, qui genituram ad ζύμωσιν continuò provocat, & molecularum effluvia quaquaverſus molitur. Sic viciſſitudine mirâ, accedentibus his, & recedentibus illis, compactus homo, in lucem prodit, lacte priùs, pane & aquâ deinde paſcendus: valentiorem enim, diuturnioremque progeniem, his alimentis, ſervabis.

CUM igitur indeſinens ſit humanæ molis diſſipatio; ita & reparatio aſſidua eſſe debet: naſcentem externus excipit aer; immanè quàm infidus hoſpes! Totam foris ambit, & multiplici quaſi præſentiâ tangit: interea ſubtilis ejus aura, per cœca cutis ſpiracula, partes ſubeundo, duras radit, molles lambit, & perennes exuvias, ab utriſque delibat. Inde diurni diſpendii inevitabilis occaſio, & neceſſitas alimenti. Sit ergo alimentum, quidquid in ſtomachô coctum, detrimenta reſarcire, fibras extendere, & humores augere poteſt: Auget ſiquidem id, quod alit, & quod alimentô proximùm; alit verò totius ſubſtantiæ ſimilitudine; quam cibus, potus, & aer, inſtaurant. Genuinum illud eſt, non quod palatô ſuavius, ſed quod alendô ſimilius: conſentiens quatenùs ſimplex, diſſentiens quatenùs compoſitum: ſed cum nullum detur homini adeò conſentaneum, quin habeat diſſimile quid & ineptum; illud arrideat tibi, quod alkali volatilis dives eſt, & de acidô parùm habet. Nullum ex familiâ mineralium; multiplex ex plantis & animalibus, comparatur. Alitur infans *ad incrementum*, *ad robur*, *& ut ſubſiſtat*: incrementum promovet lac uberrimum, ſpirituoſum, defœcatum; an ab urbanâ repetendum nutrice, quæ inter vitæ tot commoda, deſes? tutiùs, ædepol, à ruſticanâ, quæ alterâ eò vivacior eſt, quò in ærumnis patientior, & in victu continentior: hæc pane & aquâ contenta cœnat: hæc cibi ſimilitudine ſana. Verùm, accrevit puellus? illum pulte ex farinâ & lacte fove; obſonium panis & aquæ, cum tantillô ſalis & butyri, ad mollitiem coque; ſic robuſtum & vivacem enutries: tandemque feliciùs adoleſcet, ſi ex pane & aquâ juſtâ menſurâ, opportunô tempore, modôque ſecundùm ætates conveniente, ſuppetias quærat.

PANIS autem ex farinâ aquâ ſubactâ, fermentô attenuatâ, & calore furni molliter exſiccatâ conflatus, cibus eſt homini accommodatus; qui ſtomachô gratus eſt, probum ſuccum gignit, citra noxam alit, in diſtributione non hæret, ventrem non ſiſtit, non flatu diſtendit, aut excrementis infarcit. Caveas tamen à viſciditate farinaceæ maſſæ; hanc, additô ſale, improbè pinſita; ſic pugiles fermentativos ad actum exeres, & coctionem juvabis: aſt ſi lacertis, ſi fermentô parcas, δύσπεπτος & gravis ventriculo nocet: in hujus fundum excùrrit jugiter latex ſpirituoſus, ex *Acri & Acidô*, temperatus: hôc pungente gulam, fames eſt; hôc alimenta ſoluuntur: hujus actio, χύλωσις dicta, eò ſalubrior eſt, quò ingeſta ſimpliciora ſunt, leviora, & ad meabilitatem fluidiora. Iſtiuſmodi dotes à cæteris eſculentis repeteres fruſtra, ſi panem & aquam nolles. Animalium carnes χυμοὺς accendunt, molem incraſſant: cruda, qualia ſunt quæ vocantur ὡραῖοι καρποὶ, vel meatûs obturant, vel τὰ χολερικὰ πάθη gignunt: & quidquid elegans culina offert, ut ſanguinis incentivum eſt; ita & vitæ nocivum. Ad panificium farinam tibi ex triticeis compara; Hordeum cauſariis, Avenam jumentis, dica. Sit autem Triticum ponderoſum, compactum, denſum; & quod in minimâ mole, cibum εὐγενῆ, εὐπεπτόν ſuppeditet: mediæ virtutis eſt, qui ex Zeâ & Alicâ; ſed minoris, qui ex Secali pinſitatur. Panis ad uſum tibi ſit ſiligineus heſternus, mole medius, ex purâ farinâ, fermentatus, furnaceus: Quem τροφιμώτατον μὲν εἶναι, διαχωρεῖν δὲ ἧττον ſcito: αὐτόπυρον, ἄζυμον, ἐσχαρίτην, ἐγκρυφίαν athletis & ruſticanis, πιτυρίτην verò, canibus ſerva. Vivacem te faciet, qui odore ſuavis eſt, & ſapidus guſtu; inde intelligito activa ejuſdem principia ad juſtam maturitatem evecta. Sed ut in commodum totus faceſſat panis; aſſumptô, ſuperbibe aquam; & iſtâ contentus, vinô & ejuſdem genii voluptuariis ne invideas: *in aquâ, quippe, ſunt omnia*, & ſine illâ non operatur natura.

VERUM ut diſſentiens eſt partium conditio, ita & alimenti: ſolidæ, ſolidis; fluidæ, aere (*Spiritus namque alimentum eſt*) potuque reparantur. Familiares potulentorum ſpecies, è plantis & animalibus, educuntur; his & illis communis, & ad vitam longam ſalubris aqua; cur non homini? Hæc ab aere ſuas dotes, ſua vitia mutuatur; millies ponderoſior, ſed humida minùs. Moleculis conſtat teretibus, flexibilibus, tenuibus, glabris, undulatâ motione perenniter agitatis: inde facilè permeat, levi calore exhalatur, ſalibus quibuſvis patet, ſinceras ciborum vires ſibi conciliat, nobileſque ex illis haurit *tincturas*. Nutrit ſecundùm ſe totam: marina non nutrit, quia ſalſa. Nulla pura & impermixta exiſtit. Illam reſpuas quæ ſitum, odorem, ſaporem facilè contrahit; ne exitiales σχηματισμὸς in humores inducat. Optima illa quæ papillas linguæ leniter ferit, quæ tenuis, limpida, levis; hæc ſiquidem *mollis* eſt. Fluviali ſit primus honos; deinde fontanæ, ſed non omni. Saluberrima eſt, quæ è ſublimi & arenoſâ ſcaturigine, ad æſtivos ſolis exortûs lentè decurrit: putealis cruda & indomita, κλύδονας & ἐμφράξεις parit. Omnium poſtremam pluvialem habeto: ſed à paluſtri, lacuſtri &c abſtine cautus; in iſtas, quippe, continuò ſæviunt μιασμάτων ἀπόρροιαι, & ex alveô putreſcente, ἀναθυμιάσεις pravæ. Quæ autem pocula *Lyæus pater*, *læta Ceres*, & *Pomona* ſubminiſtrant, ſuſpecta faciunt incertæ tempeſtatum μεταβολαὶ, fermentationumque ἀνωμαλίαι; inde aceſcunt, & nutritiis viſceribus nocent. Quî? cruorem recrementis peſſundant, & urinæ vias, mordaci acrimoniâ, pungunt. Aqua verò, unô ſemper efficax modò, alimenta blandè diluit, vim fermentorum lenit, & auget; hinc edaciores hydropotæ; minutiſſima tubulorum, machinæ noſtræ, oſtiola innoxiè pervadit, illuviemque *ſalinam*, per halitûs, per urinas, deturbat: eò commodior homini, quò cognata magis; utiliſque tota, quæ facit ad vitæ diuturnitatem; cum illud omne foràs eliminet, quod intus retentum, læſurum erat.

BELLE idcirco ſapit, qui in alimenti delectu non peccat; ſed quàm infeliciter errat, qui de vitâ demit, dùm palatô ſervit. Commodiùs vives, ſi ſine arte; ſævus eris ſi in animalium vitam infenſus ruas, ut conſulas tuæ: ſed imprudens ſi quâvis offâ gulæ lites. Non ſaniùs veſcitur, qui lautiùs, ſed qui ſimpliciùs. Eſt tamen in ſimplicitate delectus. Famem habe pro condimento: urget illa? ingere panem his dónatum viribus, quas venter amet: & ſi te importuna ſitis angat, frigidam pota; hæc acria mulcet, & molliter fluit. Panis & aquæ menſuram ab ætate, temperamento, ſexu, & exercitiis ſume; ſic partes augere; ſic robur ſervare apta ſunt nata: eorumdem conſenſus unus, conſpiratio una. Per hæc adoleviſti, ſubſiſtas & ſenex; & ab illis non adhorreas ſanus, quæ poſtrema oderis æger. Quod ſi delicatior tibi cæna arridet, aſſumptis commiſce panem, nocebunt minùs; & ſi ſuaviùs ſitim vinô ſedare aves; aquâ dilutum pota, ſalubriùs bibes. Panis optimæ notæ, ad omnem menſam; ὕδατα ἀτεχνέα, αὐτοφυῆ, ad omnem ſitim, ἑλχυστικὸν habent. Effœtum tibi eſſe ventriculum doles; veſcere pane lotô, qui mitiùs coquitur, & ex facili in alimoniam cedit. Quod ſi ſeroſâ colluvie pallidus intumeſcas, διπυρίτην ama; ſi dyſenteriâ labores, ἔξοπτον aſſume; ſi alvus ſubſiſtat, συγκομιστόν. Aſt ſi caput gravatur, appetentia languet, præcordia obſtructa obmurmurant, menſtrua ceſſant; quid moliendum? præſcribe thermales in ipſo fonte bibendas, evanidas alioquin & ſæpe nocivas; Si febre detentum adurat enormis ſitis, oggere fluvialem, febrem imminues, & æſtuantem levabis. Quin ſi foris, intuſve ſæviant dolores? παρηγορικὰ ex pane & aquâ elige, ὁ γὰρ ὕδωρ ξυμφέρει πᾶσι τοῖσιν ἕλκεσι; in illis, ſiquidem, medicamentum quodvis reperire eſt. Ne mireris tamen tot & tanta in utrôque commoda! ὁμοιότερον τοῦτ᾽ ἐςὶν, & ideò ſalubria, quòd in nullô controverſa. Enimverò panis ſemper ſimilis ſibi, vires ſuas ſinceras ſervat; Aqua autem tota eſt ex fundô naturæ; quæ, licet ἀδίδακτος, nuſpiam umquam in neceſſariis deficit.

Ergo pane & aquâ contenti, vivaciores.



Proponebat Lutetiæ Pariſiorum HONORATUS MICHELET, Barjolenſis è Gallo-Provinciâ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.